



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Kiliani Franciae Orientalis, Qvæ Et Franconia Dicitvr;
Apostoli, Gesta, Varijs cum notationibus historicis,
dogmaticis**

Serarius, Nikolaus

Wirceburgi, 1598

VD16 S 5993

X. Quænam Apostolica Hiberniæ censura fuerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64132)

X.

QVAENAM APOSTOLICA HYBER-
NIÆ CENSURA FVERIT.

Ria sunt Ecclesiasticarum censurarum genera, excommunicatio, suspensio, interdictum. Excommunicatio hic esse non potest, quia in ciuitatem, vniuersitatem, corpusque huiusmodi aliquod conferri non potest. c. Romana §. in vniuersitatem, de sententia excommunicationis in 6. & dum idem capitulū copiose interpretantur; docent Couarruias & Henriquez. ille quidem libro variarum c. 8. & in c. Alma p. 1. § 9. n. 3. iste vero l. 13. c. 25. n. 4. Suspensio, & interdictum potest quidem c. si sententia eod. t. & c. de suspensione tamen Auctor loqui haud videtur. quia in eo, quem suspensio astringat; culpam esse aliquam oportet. Arg. c. 2. de constitut. S. Kilianus verò, Catholicus cum esset, nulla hæreseos, ob quam inflicta hæc erat; culpa obligabatur. Neque suspensio vniuersæ prouinciæ, aut populo, sed Ecclesiasticis tantū personis imponitur, vti eius apud Nauarrum definitio explicat. Interdictū ergo superest, quod apud Cantipratensem Thomam l. 2. c. 40. excommunicatio improprie vocatur, estq; , vt Iurisperitorum verbis utar; aut personale tantum, aut locale tantum, aut tam personale, quam locale. Et eorum quodlibet particulare, aut generale. De personali tantum, nullus Auctori sermo, cum Hyberniam prouinciam nominet: neque de locali tantum, cum extra Hyberniam, eo nullus teneretur. Postremum igitur fuit, idque non particulare, cum certis personis, aut locis nullis circumscribatur, sed Hybernos omnes, quoquo in loco, vbi hoc ipsum resciscerent; etiamsi eorum nullum proprium delictum esset complectatur; Ita enim interdictio fieri, quandoq; solet d. c. si sententia. & planum est in Hybernia multos tum bonos, sanctos, Catholicosque viros fuisse. Quemadmodum enim diuinitus illatæ morborum, bellorum, tempestatumque calamitates, bonos etiam sæpenuerò insontesque comprehen-

dunt:

Manual.
c. 27.

dunt: ita & Ecclesiasticum interdictum. Sed cum eo diuina tantum officia, sacramenta, solennisque sepultura vetentur, nonnè, interdicto quamuis attinerentur; poterat S. Kilianus diuinum verbum ferere? si solius verbi Minister, vt hodierni hæretici; esse voluisset; poterat sanè: sed Baptismi etiam, Confirmationis, Eucharistiæ, aliorumque Ecclesiæ Catholicæ mysteriorum Minister esse volebat. ideoque & interdicto absolui cupiebat. Verum enimverò, antequam Romam venisset; num censemus, tanto ipsum tempore, Presbyter cum esset; num ipsius sympresbyterum Colomannum, sacris operatum non esse? Non opinor, sed, quemadmodum c. i. innui; sacra panè quotidiana peregisse ideoque potius existimarem fuisse interdictum, Hybernia sola inclusum: viros tamen sanctissimos; ne qua vllis aut hæreseos, aut Hybernicæ censuræ suspicio hereret, neue vllum ab vllò scandalum caperetur, & vt suam, in SS. Sedis Apostolicæ iussa omnia egregiam obseruantiam contestarentur, rogasse, vel præsentem, vel certè, si aliter nequirent; absentes, vt omni eiusmodi vinculo soluerentur. Est verò in citato antea veteri Breuiario, S. Kilianum, cum Romam pergeret, reliquisse in Lemannia S. Gallum febre grauatum, cum verò rediret; S. Columbanum in Italia.

XI.

DE S. KILIANI SOCIIS.

DVos fuisse disertim scribit in Martyrologio Beda, eorumque hæc ab Auctore nostro nomina, & officia ponuntur, Colomannus Presbyter, Totnanus Leuita, seu Diaconus: In Sigeberto Anno 697. Dolomannus, & Tholmannus: In Herbipolitano Missali Colonatus, & Totnanus: in Epitaphio, Colonat, & Tothnas. Magna videlicet, sed vsitata in proprijs id genus nominibus, inflexio. Tertium discipulum eidem tribuit Sigebertus Anno 694. & Rhegino loco suprà citato, Arnualū quem tamè huc venisse non scribit. Adduntque similiter alij Adananum, Adelinum, & Wil-